



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXXVI. Sacelli Privati. ubi agitur, an Familiares gaudeant Privilegio
Heri sui, quoad auditionem Missæ in Sacello privato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)



CONSILIO XXXVI.

De Privilegio audiendi Missam in Sacello privato.

SUMMARIUM.

1. *Facti species.*
2. *seqq. Proponitur opinio, qua concedit Familiaribus usum Privilegii, vi cuius heris eorum diebus festis potest audire sacram in Sacello privato.*
3. *Privilegia non possunt extendi, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter expressas.*
4. *Nota virtus Privilegii pendet ex voluntate concedentis.*
5. *Privilegia, qua sunt contra legem, restringenda sunt.*
6. *Privilegium heri potest beneficio prescriptionis extendi ad totam familiam.*
7. *Exemptio à lege audiendi Missam in Ecclesia publica potest praescribi 40. annorum spatio.*
8. *Famulitum servitii Domini sui necessarium, accipi debet cum latitudine, propterea necessitas includit decentiam.*
9. *Qui privilegium concedit, intendit etiam concedere commodum ejus usum.*
10. *Nobilitas ratione officii concessa, non transmittitur ad uxorem & filios.*
11. *Extensio privilegii ad socios & Familiares non facile fieri debet.*

FACTI SPECIES.



Amilia quædam nobilis, non tam titulata, obtinuit quondam Privilegium audiendi Missam, etiam diebus Dominicis, & Festis de præcepto in ædium suarum Sacello privato. Isto privilegio usi sunt eidem harum domini per annos complures, & ad audiendam ibidem Missam, etiam dieis Dominicis, & Festis totam Familiam suam admiserunt hactenus, & adhuc admittunt sine scrupulo. Videl nuperim, nescio quis, Breye, quo concellum olim fuit Privilegium istud, & lecto ejus tenore dixit, vi Privilegii hujus diebus Dominicis, & Festis de præcepto non posse ad audiendam Missam admitti familiares omnes, in servitiis Domini constitutos, & si illam in Sacello isto audierint, præcepto Ecclesiaz illos non satisfacere, ob addita in dicto Brevi verba limitativa: *Volumus autem, quod Familiares, servitiis vestris acta non necessarii, ibidem dicta Missa interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minime liberi censeantur.* Moto hoc dubio, recursum fuit ad Theologos, quorum unus, publicus Theologie Lector, & maximæ existimationis vir judicavit, non obstante hac clausula limi-

tativâ, posse continuari, ut antè, in admittendis Familiaribus, quod verba illa non stricte, sed moraliter intelligenda sint. Alius vero, ab ædium istarum domino consultus, respondit, sibi videri, non posse Privilegium hoc extendi ad omnes Familiares, in servitiis istius constitutos. Unde

QUÆRITUR,

An Familiares gaudeant Privilegio heri sui quoad auditionem Missam in Sacello privato?

Prima opinio affirmativa videtur fundatum habere
in c. licet II. §. cum conceditur de privil. dubiis.

& ei congrua communis doctrina, juxta quam, qui habet privilegium dicendi Missam tempore interdicti, potest Ministrum quemcunque assumere, nec cogendus est querere aliquem, qui gaudeat Privilegio audiendi Missam talis tempore, ut ab eo in Missa dicenda adjuvari possit. Neque id solum intelligi debet, quando necessitas ejusmodi extensionem privilegii talis exigit, sed etiam, quando adest duntaxat quædam decentia, vel moralis commoditas. Et hinc

2dd. Ex eodem cap. & §. cum conceditur communiter docent DD. quando singuli alicui personæ indultum est Privilegium ad

ad audiendam Missam tempore interdicti, hoc privilegium extendi etiam ad familiares, & domesticos ejus, ut cum hero suo possint interesse Divinis, quod tali modo non videatur fieri extensio privilegii, sed potius legitima eius interpretatio, fundata vel in quadam decentia, quia persona illa est illustris, aut gravis, & pro statu sui conditione solet familiares suos secum ad Divina Officia ducere, & cum eis comitatus incedere, vel in morali quadam congruitate, quia patronus familie non tantum, sed etiam familiae hujus sue curam gerere debet, & ideo mens Pontificis fuit illi omnibus modis providere. Eodem modo.

4. 310. Privilegium nobilitatis, concessum marito, extenditur ad uxorem, & concessum patri ad filios.

L. famina 8. ff. de Senator. & l. sicut prop-

nitis 1. C. de dignit.

lacet nec filius sub nomine patris, nec uxor sub nomine mariti expressi censemantur. Quorum omnium ratio videretur esse; quia maritus cum uxore, pater cum filiis, dominus cum famulitio suo quasi unum corpus constituant, & filii respectu patris, uxor respectu viri, famuli respectu domini sunt quoddam quasi accessorium, ut adeo

juxta reg. accessorium 42. in 6.

mariti uxor, patris filii, dominii privilegia familia tota participet.

5. *Sed DICENDUM* nisi in casu praesenti extensio ad totam familiam beneficio Prescriptionis obtenta sit, non posse totam familiam in hoc casu admitti ad audiendum Missam in Sacello privato, ut sic audiendum diebus Dominicis, & Festis pracepto Ecclesie satisfaciant: & hoc ex communi doctrina, juxta quam privilegia, quantumcumque favorabilia illa sint, non possunt extendi, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter saltem expressas in privilegio.

Ita Rodriq. tom. I. reg. q. 13. art. 22.

Suar. L. 8. de LL. c. 10. n. 5. & c. 28.

n. 11. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n.

2. Palao tract. 3. D. 4. p. 12. n. 1.

Haunold. tom. I. de J. & J. tract. 1.

n. 206. Pirhing ad tit. de privil. n. 20.

Wielstner ibid. n. 39. & apud hos Ever-

hard. leg. arg. loc. à speciali n. 1. Bero-

juis in c. 1. de probat. n. 20. Fagn. in c.

quia nonnulli h. tit. n. 2. & 23. sumuntur

c. sanè 9. de privileg.

Ratio est, quia tota efficacia privilegii pendet intentione concedentis, quae intentio significatur verbis. ergo ultra expressionem verborum non debet fieri extensio: & hinc est, quod communiter dicitur, Privelegia valent tantum, quantum sonant.

Subsumo: Sed in casu praesenti verba Privilegii familiares omnes nec formaliter, nec virtualiter includunt: imò clarè ex-

cludunt eos, qui servitiis domini sui tempore Missa non sunt actu necessarii, afferuntque, ita interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de pracepto minime censerib[us] liberos esse. Consequenter hic locum inventiregula, quam cum aliis tradit Salas de LL. q. 96. tract. 14. disp. 17. set. 9. n. 53. ubi ait: Hoc generatum notandum: quando verba Privilegii clara sunt, non esse restringenda, vel extendenda, sed tenorem, & formam Privilegii esse servandam

juxta c. receperimus, & c. porro de rescripto quia tunc patet de voluntate concedentis, ex qua tota virtus Privilegii penderit.

Confirmatur; quia Privilegium hoc est contra legem, quæ prohibet diebus Dominicis, & Festis de pracepto audire Missam in faciliis privatis, & statuit, in ejusmodi loco audientes sacram non satis facere pracepto Ecclesie. Privilegia autem, quæ sunt contra legem, odiosa sunt, consequenter restringenda, non amplianda. Cui accedit alia regula, quam cum communis tradit Salas D. 17. cit. set. 8. n. 49. ubi dicit, in extensione sistendum intra proprietatem verborum, nisi quid amplius sit necessarium, ut Privilegium aliquid operetur; hanc autem proprietatem verborum sumendum imprimis ex usitata significacione, vel commoni usu, vel secundum jus Privilegio proportionatum. Cum ergo Breve, quo concessum est Privilegium, de quo in casu praesenti lemo est, tantum loquatur de famulitio servitiis domini tempore Missæ necessario, ceteros vero, qui non ita necessarii sunt, expressè excludat, intra hos terminos sistendum erit, & extra illos ad istos extensio fieri non poterit.

Addidi in responsione num. 5. data, *Nisi in casu praesenti extensio ad totam familiam beneficio Prescriptionis obtenta sit*; nam Privilegia etiam de novo per Prescriptionem legitimam obtineri possunt, igitur per argumentum à majori ad minus etiam acquiri potest privilegii jam dati extensio ad personas in indulto privilegii nec formaliter, nec virtualiter comprehensas. Antecedens communiter affirmatur à DD. & probatur à pari; quia per ejusmodi consuetudinem, quæ viâ prescriptionis inducitur, acquiri potest jurisdictio

c. duo simul 9. & ibi Gloss. V. consuetudo de officiis, judicis, ordinis.

item jus exigendi tributa, & Pedagia

c. super quibusdam 26. ¶ præterea de V. S. & ibi Glossi. V. non existat memoria.

nec non libertas, seu exemptio à solvendis Decimis, ut ab omnibus DD. passim conceditur. igitur etiam privilegia sive affirmativa ad aliquid faciendum, sive negativa ad aliquid omittendum, ad quod prius aliquis tenebatur lege, vel pracepto. Neque ad hujusmodi consuetudinem, vel prescriptionem requiritur consensus Principis alias, quam qui datus est

l. fin.

7.

8.

*l. fin. de consuet. & l. de quibus 32. ff. de
LL.*

generalis nimirūm, quo legislator hujusmodi jura, & exemptiones inducendi vim dedit consuetudini, & præscriptioni.

9. Requiretur tamen bona fides, & tempus legitimū. In tempore designando non convenienti DD. Aliqui immemoriale assignant: sed hi denotasse videntur tempus universum sufficiens; nam minori etiam tempore induci per consuetudinem, vel præscriptionem privilegia possunt; quod varium est pro qualitate rei præscribendæ, & illius, contra cuius jura præscribitur. Quando præscribitur contra Ecclesiam (prout hic fieret, ubi prætenditur exemptio totius famulitii ab obligatione accedendi Ecclesiam pro Missa diebus Dominicis, & Festis audienda) 40. annorum spatio privilegium, vel exemptio aliqua præscribi potest. In casu præsenti non deficit bona fides, quippe quæ vel ex eo patet, quod, ut num. 1. dictum est, extensionem hanc, quam domini ædium ad universam familiam suam fecerunt haec tenus, super hac re consultus celeberrimus aliquis Theologiz Professor legitimam illam esse existimaverit. Igitur modò doceatur de usu hujus extensionis per legitimū tempus continuato, dubitari non poterit, etiam totam familiam per viam præscriptionis à lege audiendi Missam in Ecclesia publica fuisse exemptam.

10. Quodsi autem de tanto temporis spatio non constet, dicendum erit, non nisi ad eos ex famulitio, qui tempore Missæ pro servitiis necessariis sunt domino suo, secundum verba Brevis indulustum istud extendi posse: ubi tamen necessitas non absolute, & strictè, sed moraliter, & cum latitudine, prout etiam decentiam includit, accipienda est, cum moderatione tamen, & reflexione ad locum, ubi dominus compararet; nam major comitatus famulitii personam nobilem decet, quando comparet in publico, quam quando solùm comparet in privato aliquo loco, præsertim in ædibus suis, & quando nullus alius externus adest, coram quo magnificientiam suam deceret monstrare. Deinde consideranda etiam causa, & finis petiti talis indulti, atque alia circumstantia; nam si Ecclesia, ubi audiri posset, & deberet Missa diebus Dominicis, & Festis, sit ita distans, ut ad hanc audiendam non possint dimitti famuli sine præjudicio servitii domino suo debiti, ad quæ tardè nimis, auditâ alibi Missâ, redire possent, ad omnes ita necessarios indulsum merito jure extenderetur, quippe qui tempore Missæ in ædibus privatis lectæ necessarii sunt, ut ad sint, ut deinde domino suo servitia debita præstare possint. Idem dicendum, si in Ecclesia, ubi audiri

deberet Missa, tantum unica diceretur; & totum famulitium non possit simul dimitti, sique, nisi in sacello privato ædium pars aliqua audiret Missam, necessariò contingere, ut aliqui Missam omnino audiire non possent; tali enim casu extensio fieri posset ad omnes, saltem illos, qui alias cogentur omnino abstinere ab audienda Missa.

Contra sic limitatam responsonem non pugnant argumenta à num. 2. allata. Ad 1. Responde & 2. dum ibi relati jam sunt virtualiter expressi in Privilegio; nam Privilegium concedens intendit concedere commodum ejus usum, consequenter concedere censetur omnia, quæ vel ex præcepto, velex consuetudine annexa sunt usui talis privilegii, atqui ex præcepto Ecclesiaz connexum est, ut sacerdos non celebret sine Ministro, & ex consuetudine, ut dominus in publico non audiat sacrum sine famulorum comitatu, ergo &c.

Ad 3. tium. Nobilitas illa, quam maritus, aut pater ex officio suo habet solùm tamdiu, quandiu officio illo fungitur, ad uxorem, & filios non transmittitur; sed solùm illa, quæ marito, vel patri conceditur in perpetuum, hæc autem ad uxorem, & filios transit, non ex vi privilegii, quo maritus, & pater nobilitantur, sed ex juris dispositione per leges curit. Unde potius confirmatur data responsio; nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Quod additur, quod famulitium sit quasi accessorium quiddam respectu domini sui, adeoque eodem privilegio, quo dominus, per concomitantiam gaudere beat, locum habet tum tantum, quando finis, & causa privilegii illorum concomitantiam, & concursum exigit. Unde

Suar. l. 8. de legib. c. 11. n. 8. advertit, cavendum esse, ne talis extensio ad socios, vel familiares fiat nimia facilitate, sed opus est magna consideratione, & maturitate; & sistendum intra capacitem, & exigentiam materiaz, circa quam concessum est privilegium; quædam enim privilegia sunt tam odiosa, & tam stricti iuris, ut extendenda non sint ad socios, nisi quatenus in privilegio expresse continentur: quod maximè verum est, quando scriptum, quo tale privilegium conceditur, extensionem ejusmodi expresse vetat, sicut expresse eandem vetat breve concessio nis in casu præsenti per verba limitativa num. 1. relata, ubi concessio limitatur, & restringitur ad famulitium tempore Missæ necessarium domino interessenti; debent enim hæc verba aliquid operari, ne frustra sint posita, nihil autem operarentur, si vi privilegii ita dati ad audiendam Missam in sacello domestico promiscue admitti possit famulitium universum, ergo &c.

CON-